

Sic etiam à calculo aspero lœditur. Quare ex andynis dolore mve mitigantibus iniectiones fiunt, ut ex lacte vaccino vel per se recens multo, vel calente: Vel etiam in lacte decoquuntur rad. altheæ, semen lini; & si calor vrgeat, semina papau. albi & quatuor frigida maiora, hordeum mundatum, incoquuntur. Quod si intensissimus sit dolor, ad partis sensum stupefaciendum radix mandragoræ additur. Sic etiam cum hordeo mundato, & sem. papau. albi, iuiubæ & sebesten aquæ, sed rectius lacti ( ob suum lentorem, quo illinire potest) incoquuntur. Decoctum etiam altheæ, maluæ, violariæ, lactucæ, portulacæ, prodest. Vbi vero & dolorem lenire & simul detergere volumus, ad lb. fl. lactis, sacchari ros. 3 i. addimus; vel ex decocto rad. altheæ, verbasco, hord. integr. in lacte decoctis & in colatura trochis. alborum Rhasis, sine opio, super marmor lœuigatorum 3 ij. aut iiij. dissolutis iniectiones fiunt. Aliquando eadem incoquuntur aquæ, in qua plumbum calens extinctum fuerit. Et si dolor intensior vrgeat, iidem trochisci cum opio parati dissoluuntur, aut radix mandragoræ incoquitur. Cauendum tamen studiose, ne quando purulenta materia ( vel sordes similes puri ) effluunt, narcoticis vtamur, siquidem hæc retenta acriora reddantur. Vbi vero exiccatione & consolidatione opus est, radix bistortæ, folia plantag. bursæ pastoris, polygoni in aqua, in qua vel plumbum, vel ferrum extinctum sit, decoquenda sunt. Hyemali tempore deficientibus plantis, ex earudem aquis stillatitiis iniectiones fiunt. Quod si maiore opus sit exiccatione,

pulue-